

## XXXVIII ANDR. MAUR.

tatum est, ut qui nos movet animus, brevi corpore inclusus, tamquam collectis minori in ambitu viribus, majori virtute membra regere, & facilius ad excogitandum moveri, celeriusque cuncta comprehendere, & explicare videatur. Nos itaque, quando ante oculos obversabitur species tanti Senatoris, tum intelligere debemus, eum, quem jam descripsimus, animum excelsum, ingentem in brevi corpore adfuisse una cum tor, tantisque prorsus admirandis naturae, ingenii, & virtutum omnium ornamenti; atque ita ceu magni hospitis exiguum hospitium, quod fieri saepe videmus, venerabundi admirari.

Reli quam modo esset, ut praeterea apophthegmata, seu brevia quaedam dicta memoriae mandarem, ex quibus longe clarius, & apertius, cum ab intimis sensibus profiscantur, quam ex oris lineamentis mores hominum judicari possunt; talis enim plurimum hominibus oratio, qualis vita: nec unquam fere alius serio dictis, alius animo color. Enimuero neque nos ea diligenter potuimus colligere, quae collecta integrum, & bene longum volumen exigerent; & Maurocenus sermone quotidiano veteribus potius elegantium scriptorum dictis usurpandis, quam recentibus a se excogitatis deletabatur. Nonnulla tamen attingam, perpaucis contentus, quae curioso lectori satis esse possint. Cum igitur quemdam hortaretur, donum ut recusaret; ille vero nihil jucundius esse diceret, quam rem magni pretii nullo pretio obtinere, subjecit Andreas: *At saepe maximum pretium ejus rei existit, pro qua nullum datur.* Cum dolori alter plus aequo indulgeret, tempusque medicinam facturum diceret frequenter: *Vulnus*, inquit Andreas, *din ferendo solet, prudentes din cogitando leviorum facere molestiam debent.* Cum quidam scloppetti, ut modo vocant, incertum ictum reprehendens, militem, qui satis non collimaret, acriter castigaret, ridens Andreas, *An putas, inquit, hominem, quia fulmen accipit, Jovem esse?* Nonnulli hominum, Deorumque fidem implorabant, pacis nomine, & specie non semel decepti, cum Andreas populos quosdam esse diceret, quibus nihil fidei habendum: cum pacis, & belli nominibus, tamquam nummis utantur, non ad fidem praestandam, sed ad arces, & civitates fibi comparandas: meliores certe cum bellum aperte movent, quam cum pacis, & amicitiae nomine insidias tegunt. Cum vero legibus cunctis, necnon magistratibus in omni vita religiosissime obtemperaret, Nihil hominibus gravius esse, ajebat, quam iniuste servire: nihil vero suavius quam iuste parere. Cum amicus quoddam ejus dictum liberius carperet, & vetus illud usurparet, *Veritas odium parit:* Inmo, inquit Andreas, quod in hominibus fieri frequenter videmus, ut nepos avum suum potius referat, quam patrem; id etiam in veritate usuvenit, ut ea, quae ex amore nascitur, amorem; odium vero parere soleat, quae oritur ex odio. Amicorum offendentes, non aurificis trutina, sed quadam amoris lance ponderandas, affirmabat. Blaterones quosdam, & qui nihil penitus tacere possunt, bajulorum pessimum esse genus quoddam, praedicabat: *Quid enim gravius hominem illum ferre posse, cui tacere grave sit, natura cuique levissimum?* Diyinas preces aliquando altius domi recitabat: cum amicus argueret, ille vero statim: *An igitur me rogare existimas, quae palam etiam non possim?* Cum virum quemdam nobilissimum solaretur, dixisse illi memini: *Ut sumus non nisi alta, atque summa petite, sic ambition, qui sunt in altissimo loco, praeципue persequitur: verumtamen quo petit altiora, aequae ac sumus, eo citius evanescit.* Hoc veluti oraculo huic scriptioni finis imponendus: tanti vero Senatoris illustris memoria grata cum recordatione perpetuo celebranda, ut amplissimo civi, tam praecclare de Republica merito, si non meritis par gratia, at certe pro viribus nostris debita referri videatur.